

haec ad Jura Laicorum spectâsse; idquod ipsimet
 Episcopi non rarò agnoscebant, ceu apparet è Di-
 plomate de Anno 1142. in GUDEN. *Sylloge* p. 3. ubi
 Episcopus Wormatiensis testatur, *qualiter locum*
in Schonaugia emancipaverit, & immunem fecerit à
Jure Censûs & Decimationis, & absolverit àb omni
potestate Laicali. Quod certè dicere non potuif-
 set, si locus hic Decimis Laicalibus non subfuisset.
 Unde jam sufficienter puto constabit veritas asserti
 mei, scilicet dari in Germaniâ Decimas origine-
 tenus Laicales.

II.

SUNT QUOQUE IN GERMANIA
 DECIMÆ ORIGINETENUS
 ECCLESIASTICÆ.

De Decimis Ecclesiasticis in genere, earumque
 origine hîc differere mei non est Instituti.
 Unde & nequidem tangere opus habeo, quomodo
 Patres Ecclesiæ præcipuè inde à Sæculo V. diligen-
 ter instituerint, ut, ubi sufficientes ad personas
 cultui divino necessarias, ad pauperes alendos, item
 ad ædificia Ecclesiæ conservanda & reparanda Ec-
 clesiis non suppetere facultates, omnes & singuli
 fide-

fideles omnium suorum reddituum Decimam ad Altare Domini offerre non detrectarent, & quæ sunt reliqua, Decimas generatim concernentia. Unicè Decimas Ecclesiasticas Germaniæ hic ob oculos habeo, & ibi observo, non tantùm magnam Decimarum sæcularium partem Capellis & Parochiis fuisse assignatam, Episcopis & Ecclesiis donatam, ceu inter alia è diplomate CAROLI CRASSI in GUDEN. Tom. I. *Cod. Dipl.* p. 2. apparet, ubi testatur, quod LUDOVICUS PIUS *tradiderit quasdam res proprietatis suæ ad Capellam suam in Franconofurd hoc est illam villam, quæ dicitur Pargilla, cum Ecclesia & Decima ad eam pertinente, sicut eam Ruotkerus in beneficium habuit, & illam Ecclesiam ad Biscofesheim cum omni Decimatione cum Mancipiis & terris ad eam pertinentibus.* & OTTO II. ibidem p. 12. *Quod medietatem totius Decimæ illius villa, quæ vocatur Ozzenheim, a fidei Erphone, qui illam in beneficio tenebat, tali tenore liberrimè redemerit, ut ex nunc tota Decima in Ozzenheim ad Ecclesiam ipsius villæ & ad Præbendam Parochiani perpetuo Jure debeat pertinere;* alias Chartas innumeras simile testantes ut taceam; sed prætereà non pauca Decimæ àb Ecclesiis vel saltem in bonis, quorum proprietas ad Ecclesias spectabat,

ctabat, primitus erigebantur; de quo genere Decimarum tantò utilius erit notitiam suppeditare, quò certius est, Capitularia Regum Francorum, quando Decimas Ecclesiis sanctè esse persolvendas inculcant, rarissimè alias, quam hujus generis, de quo mox sermo fiet, Decimas intelligere. Scilicet ipsa publicæ & Communis necessitatis ac utilitatis ratio impellebat Reges, præcipuè belli tempore, ut in defectu pecuniæ redditus assignarent militibus suis. Hunc in finem bona Ecclesiastica militibus ad dies vitæ, nâ propria Ecclesiæ utilitas citiùs revocari suaderet, utenda fruenda concedebant, aut ut ipsæ Ecclesiæ sic in beneficium militibus concederent, præcipiebant. Ne verò hâc ratione Ecclesiæ ad incitas redigerentur, prospiciebant, ut tales beneficiati Milites partem onerum Ecclesiasticorum ferrent, simulque annuorum reddituum Decimas Ecclesiis accuratè persolverent. Discimus hæc è CONCILIO LIPTINENSI IN GEORGISCH Corp. Jur. Germ. antiq. p. 491. ubi ita disponitur: *Statuimus propter imminetia bella & persecutiones ceterarum gentium, quæ in Circuitu nostro sunt, ut sub precario & Censu aliquam partem Ecclesiæ pecuniæ in adjutorium Exercitûs nostri cum indulgentiâ Dei aliquanto tempore retineamus, eâ conditi-*

ditione, ut annis singulis de unâ quâque Cassatâ solidus ad Ecclesiam vel Monasterium reddatur, eo modo, ut si moriatur ille, cui pecunia commodata fuit, Ecclesia cum propriâ pecuniâ reinvestita sit. Et iterum si necessitas cogat, aut Princeps jubeat, precarium renovetur, & rescribatur novum, & omnino observetur, ut Ecclesie vel Monasteria penuriam & paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario præstita sit. Sed si paupertas cogat, Ecclesie vel Domui Dei reddatur integra possessio. Cum quo combinandum Capitulare CAROLI M. ibid. p. 1173. quod ita sonat: *Derebus verò Ecclesiarum, unde nunc Census exeunt, Decima & nona sint soluta, & unde antea non exierunt, similiter nona & Decima detur, & precariæ ubi modo sunt, renoventur, & ubi non sunt, scribantur.* Beneficiorum ejusmodi Ecclesiasticorum sub Censu & precariâ concessorum possessores quando Decimas inde ad Ecclesias solvendas præstare negligebant, sicque planè metuendum esset, ne obliteratâ qualitate precariâ causam possessionis sibi mutare de facto præsumerent, & hæc bona Ecclesiastica velut alodia proprietatis Jure sibi & suis detinerent, mox ut opem ferret Rex; instituisse Ecclesias patet. E. g. è Diplomate LUDOVICI PII in BALUZ Tom. 3. Miscell.

cell. p. 27. ubi dicitur: Clerici „ conquesti sunt,
 „ quòd Nonas & Decimas, unde necessarios sum-
 „ ptus habere debebant, fideles nostri, qui res S.
 „ Gervasii munere beneficiario possidebant, aut
 „ negligenter persolverent, aut penitus reddere
 „ differrent, petieruntque, & suppliciter depre-
 „ cati sunt Nos, ut nostra Imperialis potestas effi-
 „ ceret, qualiter secundum antiquam consuetudi-
 „ nem & iussionem Domini & Genitoris Nostri
 „ Karoli præstantissimi Augusti ac nostram pleni-
 „ ter de eisdem rebus Decimæ & Nonæ partibus
 „ præscriptæ Ecclesiæ persolverentur, ut villarum
 „ nomina, ex quibus Nonæ & Decimæ ad supra
 „ dictam Ecclesiam persolvi debent, in Nostræ Au-
 „ ctoritatis præcepto nominatim adscribi præcipe-
 „ remus. „ Conf. Diploma ibidem p. 103. unde
 „ & ejusmodi personis, quæ è bonis Ecclesiasticis sive
 „ immediatè àb ipso principe, sive mediantibus Ec-
 „ clesiis aut comitibus talia beneficia obtinuerant,
 „ solutionem Decimarum sedulo inculcare Reges
 „ nostri non desinebant, ceu præter multos Capitu-
 „ larium passus id docet E. g. Diploma LUDOVICI
 „ PII in CALMET *Histor. Lotharing.* Tom. I. probat.
 „ p. 297. ubi præcipitur *omnibus, quicunque ex lar-
 „ gitione Nostrâ vel Comitum aut vassorum de rebus
 „ Mona-*

Monasterii habent, Nonas & Decimas annis singulis dare non negligent. Quomodo & in quibusnam Decimæ ejusmodi reales in Ecclesiasticis bonis constitutæ fuerint præstandæ, docet Charta in MABILLON vet. Analect. p. 294. ibi : „ Ut de
 „ omnibus Conlaborationibus terræ tam sceni,
 „ quàm & annonæ omnium generum tam de suâ
 „ Dominicatâ, quàm & de vasallorum suorum, de
 „ vindemiis quóque & perdonato, de pastionibus
 „ & pascuariis, de Herbaticis & pullis, de piscationibus,
 „ & pastionaticis, id est de glandaticis,
 „ de Melle & conlaborationibus, quæ in hortis
 „ fiunt, de nutriminibus animalium & Caseis,
 „ qui fiunt vaccariciis Dominicatis, ac de omnibus
 „ redhibitionibus, quæ ab hominibus Ecclesiæ recipiuntur,
 „ censum legitimum & Nonas & Decimas anni singulis partibus Ecclesiæ absque ullâ
 „ dilatione reddere, aut minoratione pleniter persolvere faciant ; qui negligit censum, perdat agrum,
 „ & per hanc auctoritatem vel eorum negligentiam vel contemptu ipsa perdant beneficia. „
 Ex his paucis jam facile colligi potest, Decimas Ecclesiasticas etiam originetenus tales in Germaniâ
 occurrere, earumque numerum non esse minorem ac ipsa beneficia & precarias in bonis Ecclesiasticis

cis constitutas, antiquis temporibus in Germaniâ
 frequentissimas. Ulteriùs novæ subinde pro Eccle-
 siis constituebantur Decimæ; quando enim Rex
 in Regionibus nullas proprias terras aut redditus
 fiscalinos possidebat, interim tamen Ecclesiis re-
 cens fundandis de dote esset prospiciendum, pro-
 vidè statuebatur, ut, quo ministri Altaris de Al-
 tari etiam vivere possent, Decimæ ad Ecclesias
 præstarentur; Consilium hoc ad exemplum Juris
 divini veteris testamenti in terris Saxonix & West-
 phaliæ capiebat CAROLUS M. hinc E. g. LUDOVICUS
 GERMANICUS in Diplomate apud ECCARD Tom.
 2. rerum Francic. p. 398. dicit: „ Osnabruggen-
 „ sem Ecclesiam Adriani Papæ consultu à magno
 „ & Illustri viro Karolo primitùs in provinciâ
 „ Westfala fundatam, & à venerabili Egilfrido
 „ Leodicensi Episcopo consecratam, & eisdem
 „ Decimis, quia alia ibi tunc temporis non erant
 „ Donaria, dotatam. „ Præter hâsce Decimas Ec-
 clesiastico-reales aliam quôque Decimam Genera-
 lem sibi constitui sub CAROLO M. urgebant Eccle-
 siastici. Hinc in SYNODO FRANCKFORDIENSI Ann.
 794. Capitulum 23. ita legimus apud GEORGISCH
 p. 592. „ Ut Decimas & Nonas sive Census om-
 „ nes generaliter donent, qui Debitores sunt ex
 „ bene-

» beneficiis & rebus Ecclesiarum secundum prio-
 » rem Capitularem Domini Regis & omnis homo
 » ex suâ proprietate Legitimam Decimam ad Ec-
 » clesiam conferat. Experimento enim didicimus in
 » Anno, quo illa valida fames irrepsit, ebullire
 » vacuas annonas à Dæmonibus devoratas, & vo-
 » ces exprobrationis auditas. „ Verùm iteratas li-
 » cet pro Decimis his primò nuncupatis sanctiones
 » impetrarent Ecclesiastici, ad posteriorem genera-
 » lem Decimam tamen non tam facilè pervenire po-
 » terant, ceu in decursu pluribus apparebit.

III.

**NUNQUAM IN GERMANIA
 OMNES DECIMÆ JURIS ECCLESIASTICI
 SUNT EFFECTÆ.**

Neminem, qui vel obiter in historiâ versatus est,
 fugere potest, fuisse tempora, quæis omni
 studio eò laboratum fuerit, ut Decimæ sive origi-
 netenùs Laicales, sive ex post justo titulo sæcula-
 ribus concessæ in meras Decimas Ecclesiasticas
 transformarentur. Sic notum est, BURCARDUM
 Episcopum Halberstadiensem omnes Abbatiarum
 Decimas sibi deberi contendisse, quia Monachi ori-